



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXX. Romanorum militum diuisio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Romani
ordinarii
militem
non habue-
runt initio.

sed cum patria defendenda, vel bellum gerendum esset, delectus agebant. at postea crescente imperio legiones ordinarias, & statas, atque adeo militem prætorianum pro tutela principis habebant. Idque iam olim Græci factitarunt, & suasit Atheniensium orator. Demosthenes enim quatuor perpetuo legiones alendas putabat, orat. 4.

Augustus
militem
perpetuum
constituit.
In Gallia
miles ordi-
narius.

§. 2. Magna cura adhibenda est, ut copia sit militis ordinarii: nam ordinarie subito bella conserunt, & diu durant, itaque opus est celeri remedio, & persequente. Hinc totam imperij molem conspiciat Augustus, ordinarios milites constituit, seuatque; hoc est à successoribus.

De perpetuo milite video variatum admodum in multis regnis, præsertim Franciæ. Gregor. Tolet. libr. 11. de Repub. Sunt multa alia quoque armorum exterorum incommoda, quæ considerans Carolus VII. Rex Franciæ pulsus regno Angliæ, instituit ordinariam militiam quinquaginta millium peditum, qui stipendia continua militari scientia nauarent operam, & ad omnem incursum interim expeditus conuenirent, dum alii interim, si maioribus viribus opus esset, cogerentur: verum iacrociniis tales intenti, fuerunt à Ludouico II. sublatis, qui assignit in illorum locum sibi laterales Heluetios. Rursus tamen Franciscus I. Rex memor periculorum, quibus exposita fuerat Gallia ob auxiliares extraneos, anno 1534. Legiones restituit quinquaginta millium peditum: & cum ille postea penitus fere fuisset extincta, restituit easdem Henricus II. filius sine tamen magna regni utilitate propter indisciplinatum ordinem.

Non desunt qui iudicant etiã non expedire principibus, uti in bello subditis, eo quod arma, feroces efficiant subditos: & inde ad rebellandum facilius erigant cristas. omnia enim sibi cum robore ensis & armorum pollicentur, ut exempla adhuc extant in Gallia & Flandria.

Ratio ordi-
narii mili-
tis.

§. 3. Ordinatio militi tanquam pro omnium ocio ac quiete sollicito honor habendus est. Hinc olim omnis nobilitas originem habuit. Sed ille alendus, qui præsidio sit, qui que bona disciplina exerceatur, nec quiescere, aut ociosi sinatur; nam mala inde orta, aliunde manarunt.

Totum, inquam, malum ex neglecta disciplina ortum est. Si enim diuersis in locis, aliquo operi detenti, mediocri stipendio alerentur, facile tantum regnum tutarentur; imo inuictum redderent.

§. 4. Continendi certe in officio, alioqui principibus euadunt graues, & subditis intolerabiles; nam arma animos ad inferendam iniuriam faciunt; cum autem de vitâ periclitentur, omnia mereri se putant, si quicquam non extorserunt, hostibus atrociores sunt.

§. 5. Exercendi sunt etiam pacis tempore, alioqui ocio celerrime elanguescunt; itaque præsidia hodierna non sunt tirocinia militum, sed corruptelæ.

Agessilaus in Gymnasio milites exercuit, & virtutis præmia proposuit. Alex. ab Alex. libr. 1. capit. 20. Philippus quoque Macedones exercuit diligenter, cum armis sæpe trecenta stadia conficiebant, arma omnia, comæatam, vasa ad victum ferebant.

Præsidia
diuersis in
locis.

§. 6. Diuersis in locis habendi sunt, tum quia pluribus præsidio, & minus graues sunt, tum vero ne conspirare possint. Vires enim suas nisi coniuncti non vident. Cum agmen fecerunt, terribiles sunt.

§. 7. Consilium etiam prudens est, diuersa ex gente coniungere; sic enim nec commercia facile agitare, nec coniurare possunt.

§. 8. Conuenire tamen vna alterave ala interdum ad ostentandam virtutem, aut peritiam, mutuaque æmulationem conueniense est.

CAPVT XXX.

Romanorum militum diuisionis.

§. 1. Ordinum diuisionem hunc in modum Polybius describit. Tribuni vero Romæ cum sacramento dixerunt diem, & locum cuique legioni denunciante in quem conueniant, idque, sine armis, tunc quidem dimittunt. At ii, cum adfuerint die dictâ, horum iuuenes, & pauperes maxime Tribuni seligunt in velites; istis proximis, in Hastatos; ætate florentissimos, in principes; ætate maximos, in Triarios. Tot enim & talia discrimina apud eos sunt & appellationum, & ætatum, & armorum, in quâq; legione. Diuidunt autem in hunc modum, ut maximi ætate, quos Triarios dicunt, sint sexcenti; Principes mille ducenti, totidem Hastati, reliqui, & ætate minimi velites. Quod si plures quatuor millibus sint, prout diuidunt, exceptis Triariis, quos habent semper numero eodem.

Triarii,
Principes
Hastati,
Velites.

Causa cur eodem numero, quia magna dignitas, & rara pericula Triariorum; ne igitur potissimam militis partem sine operâ in acie tenerent, noluerunt eam augeri, quamvis ceteri ordines augerentur.

Hoc in loco tacitum non possum prætereire, id quod ait, legi τὰν ἀνδρῶν τὰς νεωτὰς, & τὰς γοῦντας, & τὰς γοῦντας, virorum maxime iuuenes, & pauperimos in velites.

Error militie Ro-
mæ.

Hic ætatis ratio, & opum; putat Lipsius pauperes, ætate fortes, & vñ in triarios lectos esse. Sed in valde pauperibus, seu pauperimis id negauero: & consentit ipse; A censu sane legebantur, & id diu perdurauit; Romanis id obijcitur, à censu equitem, à censu peditum legitur. Lilius l. 37. itaque magis hac in parte placeat instituta Laconum, in qua virtutis ratio præcipue ducebatur. Romanæ Reipublicæ id plurimum nocuit. Ex eaq; causâ ortæ difficultates delectuum, cum ad nomen respondere nollent, militiamque detrectarent.

Quinetiam sententiæ meæ rationē habeo, & probatiorem maximi nominis Imperatorem. Ratio est: quia, quamuis cum stipendiâ darentur, humanæ erat, sextam classem feruari, nisi in magna necessitate & tumultu; magnus erat tamen error in Republ. militiæ studiosa, & inter hostes viuere perpetuos, tantæ multitudini vacationē dari, præsertim cum ipsa ius mandatorum magistratum haberet. Quam multos in illis fuisse credibile est, viros fortes, gnauos, industrios, qui arma, Martemq; tremebant: certe pauperum Romæ maximam multitudinem fuisse omnis historia testatur. At nunc pauperissimi velites sunt primi, & leuiter armati obijciuntur hostibus. Hanc ob causam Marius, ut Salustius in Iugurtha scribit; Milites scribere non more maiorum, neq; ex classibus, sed ut libido cuiusq; erat, capite censos plerogq;. Ecce tibi Marium magnum, & periculosisimis bellis imperatorem, morem legendi militem tot annis ambitione diuitum vsitatum immutat, & prætermisiss diuitibus legit capite censos. Sunt vero illi, qui nullo, aut perquam exiguo ære censebantur, Agellius lib. 16. c. 9. Plutarchus id etiam refert. Consul declaratus splendide, statim Dilectum habuit præter legem, & morem, plurimos è pauperibus & seruis genere conscribens: cum antea Duces hos tales non susciperent, sed arma quoq;, ut aliud aliquid honestorum, non nisi honestis dignisq; darent, cum quisq; velut pignus rem familiarem opponere videretur.

Maxima
parti vaca-
tio non
danda.

Marius pau-
peres legit.

Addit libertos, & libertinos. Sociali bello seruatum illud, & factum fuisse operæ precium docet Macrobius Saturn. c. 11. Bello Sociali cohortium duodecim è iberis conscriptarum opera memorabilia virtutis apparuit.

Libertino-
rum cohor-
tes.

Imo postea pleriq; pauperes ibant militatum, & rem, &

rem, & nomen parabant. Quam rem ipsæ legiones indicant, quæ ab solutis stipendijs agros accipiebant, ne post labores exhaustos in ope senectute consumerentur. Hoc igitur modo melius Republicæ consultum est. Quam ob causam etiam voluntariorum delectus supra magis probauit.

Velites igitur, accensi, rorarij, non erant ex censu hoc modo legendi. Quia fortissimi, & promptissimi futuri in prælio, si negligebantur.

*Hastati in
irritum ha-
stas iacie-
bant.*

§. 2. Hastati ita dicti, quod antiquitus hastis pugnabant, postea pilis & gladijs: grauis ea militia, nec magno usu, cum enim duo pila in vanum emissa, vel clypeis excepta essent, statim ad gladios ventum est. Hastati iuuenes erant, Lilius l. 8. vocat florem iuuenum pubescentiū. at principes viri erant, robustiorem ætatem vocat Lilius; unde colligas, diuites etiam tiro-nes inter velites non fuisse.

*Triarii ra-
ropugna-
bant.*

§. 3. Triarii dicti quod in tertio ordine, seu acie subsiderent, seu ut Varro loquitur, *extremis subsidio deponerentur*, ætate graues erant, & fortitudine. Sedebant pressò altero genu, Pilani olim dicti, numero erant sexcenti, apud eos aquila, & Imperator, selecti & extraordinarij, atque etiam euocati. Video nostris ducibus aliud placuisse, nam in prima acie atque oportunitis locis fortissimum quemque collocant, apud Romanos fortissimi raro pugnabant; nam interdum velites, sæpe hastati, ordinarie principes profligebant hostem, summum periculum denunciabatur, cum res ad Triarios rediisset. Tutelæ igitur suæ magis hoc in ordine, quam bono publico diuites cōsulebant, & pauperum ac iuniorum pericula esse volebant. Hoc tamen commodierat, ut rarissime tota acies fugaretur, in iunioribus enim cæsis aut fugientibus, persistebant Triarii, robore & animis, qui si principio eladem acceperant, solo metu celeri diffugissent; Facilius est enim habere militem, qui fortiter pugnet, quam, qui clade visâ non fugiat.

Legio.

Tota vero hæc multitudo apte composita legio Romanis dicebatur, in qua velites, hastati, principes 1200. Triarii 600. Numerus vniuersorum 4200. si maior esset legio, manebat status Triariorum numerus, cæteri proportionem æquali augebantur, ut dictum est. Romuli legio triam millium fuit, velites non habuit seiunctos.

§. 4. Altera diuisio est horum militum in manipulos, & cohortes. Polybius in hunc modum. *Post hæc vna cum ordinum ductoribus diuidunt ætates singulas sine genera, quamque in decem partes, exceptis Velitibus. Ipsos Velites, vti multitudo est, æqualiter distribuit in omnes partes. Atque vnamquamque harum partium appellant ordinem, & manipulum, & signum. Manipuli sunt triginta, quilibet genera sunt in manipulos diuisa.*

*Inde patres centum denos secrevit in orbes,
Romulus hastatos instituitque decem.
Et totidem princeps, totidem Pilani habebat
Corpora, legitimo quique mercede equo.*

Manipulus.

Per hos æqualiter distributi erant Velites in singulis ordinibus quadringenti, in singulis manipulis quadraginta. Manipulus est hominum 120. centuria vero 60. Hoc in hastatis & principibus; nam Triarii numero dimidiato sunt. atque hoc sine additis Velitibus, quos si adiugas in manipulis erunt 160. & in centuria 80.

Cohors.

Cohors constituitur ex tribus manipulis, vno hastatorum, altero principum, tertio Triariorum addito manipulo Velitum, suntque homines 420. quasi parua legio, omnia enim genera legionis habebat. Cohortes à rustica cohorte dictæ sunt; eæ interdum separatae, & in prædijs, vbi integram legionem resistere necesse non erat. *στράτας* Græci appellant, & interdum *ἰκὰς*, quasi dicas alas. Manipuli tamen initio sine distinctione, ac proinde etiam cohortes

fuere. Nam centum homines, quibus pertica manipulum facere præferebant, manipulus dicebatur. Ouid. 3. Fast.

*Pertica suspensus portabat longa manipulos,
Vnde manipulari nomina miles habet.*

Decem igitur in legione cohortes. Romulus trium millium legionem fecit, deinde adicitis Sabinis duplicauit Scipio, Marius, alijque maiores fecerunt.

Equitum trecenti erant diuisi in decem turmas, quarum vnaquæque triginta continebat.

*Equites tre-
centi.
Socii.*

§. 5. Sociorum eundem numerum, si pedites consideremus, habuerunt, equitum duplo maiorem. Illi vtrique ad dextram, & sinistram partem fuere. Ex sexcentis Equitibus sociorum tertiam partem extraordinarios vocabant, *ἐκπαιδῆς*. De his Polybius; *Πραεῖς* primum ex omnibus socijs aptissimos eligunt ad proprium usum Consulium, tam equites, quam pedites, quos vocant extraordinarios. Id valet interpretatum, Electi. Multitudo autem omnis sociorum est, peditem quidem par Romanis legionibus, ut plurimum; equitum dupla. Ex his accipiunt Equitum quidem in extraordinarios partem admodum tertiam: peditem quintam. Reliquos diuidunt in duas partes, appellantque alterum Dextrum, alterum Sinistram cornu. Extraordinariorum pars, qui dicti ab electis, semper cum Imperatore versabantur. Prudenter factum primo, ut socios vtrunque diuiderent, securitatis causa. Deinde tam ex pedite, quam equite seligerent extraordinarios, hoc est, promptissimum quemque, & aliquid ausurum, ex his ipsis ab electis, qui specie honoris, quasi obfides circa consulem erant.

*Extraordi-
narij.*

Ab electis.

Postea multo maior sociorum erat numerus, & tandem ex Italia, tandemque toto imperio scriptas videmus legiones. Cornua sociorum, & alas appellant, etiam cum de pedite loquuntur.

CAPVT XXXI.

*Ad victoriam equitem plus facere quam
peditem.*

§. 1. **G**eneratim res illa consideranda est; nam quibusdam in bellis vix usus est equitis, in alijs eques omnia conficit; cum vrbes in montanis obsidentur, aut ad flumina, & maria, cum operibus agitur, non est equitis magnus usus. De bello igitur agimus, & prælio, quo affirmo eum, qui equitatu abundat, facile superiorem euadere.

*Equitis in-
terdum sum-
mus, inter-
dum nullus
usus.*

Causæ multæ sunt. Prima qui equitatu præpollet, & suam & hostium ditionem in manu habet. Commeatus libere conuehit, omnes hostium excursiones, pabulationesque inhihet, eumque quasi in laxâ custodia tenet. Otomanidæ omnem spem regni in Timariothis repositam habent, qui eorum est equitatus, maximeque hosti nocere potest, cum magno numero, cui nemo resistere valet, in terram inimicam irruat, & vno impetu iusti belli cladem efficiat. Eodem Tartari, & olim Hunni plurimum valuerunt. Neque ad rem facit, quod in equitem graues sumptus impendiant; nam minorum potius peditem numerus legendus est, & impensas celeritate belli compensant. Minui etiam sumptus potest, si ex hostico viuere consuecant, quod est facile illis, qui superiores sunt.

*Eques ex
hostico fa-
cile ali-
quod rest.*

In oppugnationibus urbium, alijsque statarijs prælijs, etiam descendere ab equis, & pedites pugnare solebant; quod nunc hac licentia militari haud facile lux assequetur. At in prælio cum procella equestris immittebatur, cito fugam hostis capiebat. In ipsis prælijs cum equites cedere coguntur, pedites quasi destituti solam fugam spectant.

CAPVT